26

DISSERTATIO MEDICA DE NEQUITIA FEBRIUM,

QUAM
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
SUB RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
CAROLI CHRIST. ERDMANNI,
DUCIS WURTEMB. AC TECCIÆ, OELSÆ AC BERNSTADII,
COMIT. MONTISBELIGARDI, DOMINI IN HEYDENHEIM,
STERNBERG ET MEDZIBOR, & rel.
JUSSU AMPLISS. FACULT. MEDICÆ,
PRÆSIDE
ELIA CAMERARIO,
MED. D. AC PROF. ORD. CONS. & ARCHIATR. WURT.
PRO LICENTIA,
OBTINENDISQUE HONORIBUS DOCTORALIBUS,
AD DIEM XXX. JUNII MDCCXXXII.
H. L. Q. C.
DEFENDET
JOH. GEORGIUS PFENNING, Reuttlingenſis.

TUBINGÆ,
LITERIS ANTONII HENRICI ROEBELII.

LIBERÆ VRBIS IMPERIALIS

REVTTLINGENSIS

SENATUI INCLYTO,

VIRIS

PRÆ-NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMO, GRAVISSIMIS, PRVDENTISSIMIS,

DOMINIS

CONSVLIBVS,

SYNDICO,

PRÆTORIBVS

ET

RELIQVIS MAGISTRATUS

MEMBRIS SPLENDIDISSIMIS,

PATRIÆ PATRIBUS SPECTATISSIMIS,

DNN. PATRONIS atque FAVTORIBVS COLENDISSIMIS

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

IN DEBITÆ OBSERVANTIÆ SIGNUM

SACRAM ESSE VOLUIT,

DEBUIT,

RESPONDENS.

Q. D. B. V.

FEbrium ſubdolo corpus depaſcentium igne κακοήθειαν Cœlium Aurelianum nequitiam febrium appellare ipſo eo tempore adverti, cum in aliquot unà ægris nequitiam iſtam proteiformem atque, haud parum negotii faceſſentem obſervare atque, admirari contigiſſet; anſam tam congrua appellatio mox dedit his paginis conſcribendis eoque, titulo inſigniendis. Non quod de Febribus ſcriptum ſatis non videatur; neque, quod rariora illarum atque, infrequentiora exempla ſuppetant, triſtia enim tempora eorum morborum agmina Medicis offerre neminem latere arbitror. De anomala, Maligna, proteiformi Febri ſolidè plenèque, Præſidis B. Parens, benè de re Medica meritus pluribus Diſſertationibus ea ſcripſit quæ attentionem in tanta circa Febrium doctrinam confuſione eorum merentur, qui magis ex ſedula obſervandi ratione, quam aliorum ſcriptis aut præjudiciis ſapere ac diſcere annituntur. Nec tamen eſſet inutile crebrius Publico exhibere caſus, quos vocant, ſpeciales, uti morborum aliorum, ita et febrium: ut ut rari non ſint: quis enim prudens deſideret in Diſputationibus inſolita tantùm atque rariora utilitate diſcentium litandum magis, quam raritati, ac curioſitati ſæpè ſatis inani. Diſcentibus verò ſcribimus non doctis, dum hiſtoriam hîc enar-

ramus morbi, ſatis equidem vulgaris, circumſtantiis tamen veſtiti nequioribus, mirèque, Medici animum diſtrahentibus, torquentibusque tam inſtabili verſutaque, indole, ac quadam quaſi ſtratagematum ſpecie aut inſidiarum non niſi attentione ſingulari ac perpetua detegendarum evitandarumque. Adſit Deus conatui noſtro. Juvenis annorum 17. alacris, vividique, ingenii, dum ſub acuto graviſſimi, quo obierat frater morbi decurſu Vigiliis, mœrore, lachrymis, angoribusque, eſſet exhauſtus 1. Sept. jam macilentus, laſſus, malè cepit habere, aëri tamen nocturno diutius ac per plures horas exponens corpus. 2. Sept. ac 3tii manè querebatar de Cephalalgia, laſſitudine, dolore ventris, pedumque, intenſa refrigeratione; poſt meridiem verò increvêre ſymptomata modò memorata, ac ventris maximè dolor iſtos intra limites ſe non continuit, cum et dorſum, lumbosque, et oſſis ſacri regionem jam occupaſſet gravis dolor, pulſu unà Celeri, duriuſculo deprehenſo, quem explorantes digiti adjacentium tendinum quasdam quaſi oſcillationes percepêre; ægro tamen hilari nec ſive corpus ſive animum ſpectes dejecto. Durabant iſta poſt noctem non inquietam die 4. Urina citrinam tantillum coloris intenſione ſuperante, eadem pulſûs ratio, niſi quod ſub veſperam increſceret et celeritas et durities ejus, iſtaque, tendinum ſubdubia primùm, quam diximus, oſcillatio, nunc infortiores eorundem ſubdigito tangente ſubſultus commutarentur.

Æquali calor haud adèo adſenſum intenſus gradu 5tâ videbatur decurrere pulſu jam mitiorem ac meliorem ſe inſpeciem exhibente, Urinâ mox turbatâ ſedimentumque, ad fundum agente: tendinum tamen nondum omnimoda obſervabatur quies: videbantur tamen omnia tolerabilia atque, in vado eſſe, cum ſubitò horâ veſpertina $5\frac{2}{2}$ angore ingenti, ac ſimul ſpaſmodico quaſi aſthmate prehenditur, ſenſu tamen ac ratione quodammodò ſalvis, reprimunt ſtricturæ nervorum vocem, agitat, attolitque, anxii corpuſculum adſtans Chirurgus,

gus, inſtantemque, omnia minantur mortem, donec Medico ſuperveniente, ſpiritibusque, excitatis remitterent ſpaſmi, ſuusque ſanguine denuò conſtaret circulus, ægro licet feſſo liberius nunc{quæ triſtis in hoc pacoxyſmo ſuggeſſerat experientia enarrante; ſubitò ſcil. ſibi conſtricta cum ſumma anxietate præcordia, ademptamque, reſpirationem: admota hinc præter inunctiones varias, ſuris veſicas excitantia emplaſtra, plantis pedum fermentum cum rutha acetoqne, ſubactum, injectumque enema oleis anti-ſpaſmodicis remixtum. Adhibitis hactenus pulv. pannon. 2. Antimonio Diapthoret. Chaquerillæ, nitro puriſſimo, addita nunc largius cinnabarina, Nervina, cornu alc. Ungul. alc. Lap. pretioſ. Margarit. aliaque confortantia, admixtusque, mixturis aſſiduè exhibendis Liq. Corn. Cerv. ſuccinatus. Nox inſecuta eſt non admodùm inquieta, unde 6. Sept. melior quà duritiei remiſſionem pulſus, ſed celerior ferè, calor idem, tendines quietiores, nec penitus tamen ſedati, horâ ante meridiem undecima increſcit calor, ac pulſûs celeritas, ac vehementia, accedunt terrores, ſuccuſſionesque corpuſculi, et mox paroxyſmus quà initia heſterno ſimilis, ad illam tamen ἀκμὴν non perveniens, ſenſit tamen diu grave corpori quaſi incumbens onus.

Melius poſt meridiem abhibito Clyſtere habere cepit nec tamen tendinum ſequebatur quies ſub veſperam colici dolores, et inquietudo inſignis aderant, nox tamen haud inquieta ſecuta eſt. 7mâ ſatis benè horis matutinis habuit, increſcente tamen verſus meridiem calore et inquietudine. Erat et die ſept. 8. ſtatus morbi mediocris, tendinum adhuc paſſim ſubſultus, averſatio cibi, ſitis haud intenſa, admitit tamen ſubinde jusculum. 9. Urina ad huc parum tinctior, non uti prius tenuis, ſemper de ventris dolore queritur, nullus verò exacerbationum typus exactior potuit obſervari, ſed perpetua animos adſtantium ſuſpenſos tenuit anomalia. Cumque, 10ma melior ex omni parte videretur pulſus, ac moderatiſſimè tincta, ac ſpiſ-

ſior paulò Urina, commotior tamen animus ac facilimè irritabilis novas minari turbas incipiebat. Unde et 11mâ qui antea ultra modum agilis volubilisque, in lecto fuerat æger, nunc plus oſtendit laſſitudinis ac torporis, exacerbationes obſervantur inæquales atque, erraticæ, cum in ſuper mane nunc, nunc verò veſperi gravius decumberet inſtabili hactenus viciſſitudine. 12mâ vehementius increverat manè calor, pulſus celerior, tinctior, tenuiorque, Urina, conſtanter hactenus ab omni turbatione libera, augmenta capit laſſitudo, ita ut difficulter loqueretur, veſperi cumprimis ubi adeò loquendi increvit difficultas præ laſſitudine, ut vix ſermo percipi potuerit abruptus, debilisque; quæ ſumma virium poſt dies iſtos pacatiores proſtratio nova adſtantes conſternatione dejecit. 13mâ decreviſſe laſſitudinem haud comperimus, unde ne leviter quidem attollere valebat caput, linguæ idem adhuc torpor et loquelæ difficultas, tuſſicula hactenus ſubinde ſe prodens jam capit incrementa, in facie maculæ, puſtulæque, confertim erumpentes viſui tactuique, ſe offerunt: Conqueritur æger de ſummo virium defectu, ajens, néſcire ſe præ laſſitudine an pedes habeat? Tormina ventris perpetua adhuc ab aliquot retrò diebus non durant modò, ſed et ultra modum nunc augentur. Tincta magis quam hactenus Urina aurantium ferê exhibet colorem; de ſumma colli fauciumque ſiccitate querebaturque variis impugnata remediis, nulli quidquam conceſſit, niſi Sem. Cydon. mucilagini cum Viol. Syrupo mixtæ. Pulvere pannonic. 2. aljisque, Bezoardicis aſſiduè itum eſt obviam morbo aucta eſt horis pomeridianis tuſſis. Urgenteque ventris dolore et ægri querelis perpetuis cogentibus clyſter exiguus ex lacte, oleique chamomill. et verbaſc. a͞a. ℥ij. injectus fuit, à quo mox evacuatio fœcum larga ac doloris remiſſio. Veſperi viribus acceſſiſſe parum videbatur, cum potuerit rurſus ſe in latus provolvere, ac decumbere in illo; Crebrior infeſtabat tuſſis, aſperitas colli magis incommoda, ſecutæ ſunt clyſteri

a ppli

applicationem tantillam fœcum nigrarum plusquàm ſedecim dejectiones largæ, nocte appetente totum corpus puſtulas monſtrabat, quales mane exhibuerat ſola facies.

Poſt ſeptimam veſpertinam vomitus mox ab aſſumpto pulvere materiæ nigricantis altera etiam vice non ſine gravi incommodo viriumque lapſu ſequebatur: Emplaſtro verò de tacamahac impoſito regioni ventriculi ceſſavit vomitus, exhibitisque Pilulis ex Extr. Bezoardico Cam. Ruth. Pœon. Caſtor. Helen. Cinnab. Nat. hactenus enim per vices emulſiones Pilulæque noctu erant exhibitæ, noctem tranſegit quàm metueramus quietiorem. Die 14mâ tumet et rubet toto corpore, puſtulis confertis cute aſperâ; Pulſus minus quàm heri citatus, at minus quoque, debilis, vox tantillum fortior, collum melius, tuſſis (quæ tota urſerat nocte immitius) viget adhuc, vires paulò ſunt vegetiores; Commendata quies corporis et animi, veſperi idem perdurat ſtatus, ſed celerior pulſus cum ſudore ac madore univerſali à ſomno. Tumet admodùm rubetque facies plena puſtulis; confertæ illæ in corpore ac denſæ, non in pedibus. 15ta durant equidem puſtulæ ubique neque, tamen increſcunt; tumor faciei parùm ſubſederat: Urina tinctior, non turbida. Pulſus non ita, uti heri veſperi citatus. 16ta nox inquieta poſt ſe traxit inſignem pruritum exanthematum, cum primis in dorſo, ubi denſa agmina erant aggregata. Pulſus ſatis æqualis, non nimis celer: Urina mediocriter tincta, non tamen turbata; incipit appetere aliquid cibi, qui pauciſſimè datus ne noceret. 17mâ poſt noctem quietam, Urina heſternæ ſimilis, nec pulſus diſpar, nondum tranſiere puſtulæ maculæque, licet inciperent imminui. Sederat erectus aliquandiu in lecto. Veſperi intenſior acceſſit calor, artuumque tremor ſuperveniens nova minabatur mala, proſtratus denuò appetitus. Nox haud quieta. 18va laſſitudo ingens, oculorum torpor ac gravedo, dolores in articulis à motu, manuum debilitas, conſtringere manum non poteſt, acceſit pedis tremor, loquela denuò

denuò impedita, calor intenſior. Urina turbidior, at non tu[r]bata. Poſt meridiem rediit aliquale cibi deſiderium. Caput er[i]gebat ſponte jamque iterum ſtringere valebat manum, a[c] loquebatur melius promtiuſque; fortior Pulſus, ſed et c[e]ler. Manè puſtulæ non ſolùm in pectore adhuc confertæ ac fr[e]quentiſſimæ, ſed et tota præcordia rubedine ſuffuſa com[]paruere, commendata hinc moderati caloris, ac promoven[]dæ mitius tranſpirationis æquabilitas. Ante mediam noctem non potuit capere ſomnum; poſtea obdormivit, ac manè me[]lius habuit; oculi comparebant vegetiores, ac vivaciores, Ur[i]na eadem, pulſus quàm heri mitior, ſitis moderata, minu[s] tremebant artus, veſperi tamen calor iterum haud levite[r] auctus eſt. 20ma ſatis benè habet: Pulſus tamen adhuc fre[]quens, nec omninò tendinum ſubſilitiones ceſſarunt, et dig[i]torum tractiones in ſomno. Colloquia in ſomno nocturna mi[]cuit, de quibus dubitabatur, ſint ne in ſomno prolatarum, a[n] vigilantis leviuſcula deliria.

Diebus inſequentibus haud malè habuit hilarique, era[t] animo, niſi quod caleret adhuc magis quàm par erat, Pul[]ſusque eſſet citatior, die cum primis 22mâ quâ ex iracundi[a] vehementi mirum quantum increverit veſperi calor, noxqu[e] fuerit ſubſecuta inquietior. Die autem 23mâ Æquinoctii e[t] plenilunii concurſu notata calore non levi per intervalla exa[r]ſit, veſperi cumprimis, uti ferè ſemper evenit. Dehinc meliu[s] habet, niſi quod caleat impènſius, ſed & intenſius iraſcatur unde caloris illa frequentia ac perpetua ferê augmenta; Ul[]timis menſis diebus redière vires, cepitque vacillante greſſ[u] obambulare, tinctiore tamen adhuc Urina, pulſu celeriore corpore admodum ex hauſto ac macilento, ad iram admodum pronus: ſenſim tamen ſenſimque auctæ vires; inque ple[]nam tandem cum ſanitate gratiam lento quidem gradu redjit lenta febricula diu ſatis ſuperſtite, qua tamen gelatinis, faci[]

li

li, proboque, victu, ac remedjis mitioribus antihecticis extincta, priſtinum corporis robur vigoremque recepit.

Jſta quidem morbi graviſſimi ac proteiformis Hiſtoria plurima nequitiæ argumenta exhibere nobis, plurimasque inquiſitori ſedulo offere circumſtantias queat, circa quas cum fructu ratiocinari, diſcurſûsque hinc Academici deſumere congruam materiem haud ſit difficile. Et ipſam quidem ſi ſpectes morbi originem, primaque ſtamina, haud dubitaveris ex morbo defuncti fratris ſiniſtri quid fuiſſe hauſtum, ut ut idem preciſè morbus haud fuerit, fuit tamen ſæva malignitatis labe notatus, quod vel celeri decurſu, internique æſtûs intolerabili fervore teſtatum dedit. Quam verò prona ſunt conſanguineorum, fratrum maximè corpora ad conſenſus etiam morboſos, quantâ admiratione proſequimur morbos eodem tempore adorientes fratrum ingenti locorum intervallo diſſitorum corpora, quorum exempla atque hiſtorias, circa variolas potiſſimùm, paſſim ab authoribus traditas reperire eſt; Quanto verò dolore tota etiam die obſervamus morbos malignos, ſi unum primitus invaſerint ægrum, omnes ædium earundem incolas, ſanguine cumprimis junctos, diſpari ſæpè fato, eodem tamen malo, contagioque involvere atque inficere.

Hic verò noſter non aſſiduus modò ægrotanti adſtiterat, hauſeratque diu multumque ægrotantis miaſmata vaſta nube ex fatiſcenſe corpuſculo emanantia, ſed et humanitatis omnia officia, imò ſervitia ipſi exhibuit, profundo animi mœrore intimè affectus, quin et graviſſimè non ſemel inter deliria territus, perculſusque. Ubi verò terrore Spiritus dejiciuntur infirmanturque, ac ſimul alluentium in primis vijs miaſmatum inſultibus unà cum ſanguinis maſſa univerſa turbantur, inque peregrini motus leges ſenſim ſenſimque coguntur, ibi contagii, ibi febris, ſi non ejusdem, ſaltem affinis ſtamina facilè agnoſcis jacta eſſe.

Suam verò nequitiam, pravumque morem diu ſatis occultavit morbus, non ſtatim prorumpens, ſed occultas in intimis ſtruens inſidias, donec minoribus moleſtiis, vagis maximè doloribus, iſtoque, quem deſcripſimus tendinum ſubſultu ſe manifeſtaverit prius quam apertis ſe ſe flammis, ardoribusque, continua febris oſtentaret, diu lucem fugiens, proteumque ſuis in latebris agens omnes ſubeuntem formas, uti ex ipſo morbi decurſu abundè eluceſcit. Erant verò ſuſpectam tendinum nervoſique ſyſtematis affectionem quæ poterant magis adſtantibus, Medicoque reddere formidabilem. Jpſa primùm hæreditaria diſpoſitio tenero, ſenſilique nervorum principio, ac diſpoſitioni eum reddidit obnoxium. Erant in recenti memoria, ut ut tranſijſſent dudum, fratris natu maximi miſerrimæ excruciationes ſpaſmodicæ, variæ maximèque diuturnæ, et mira Phænomenorum varietate prorſus mirabiles, quarum aliquas duximus lineas in Diſſertat. Epiſt. Taurin. d. catalepſi agentes; et quis ſub iſtis morbi minantis exordijs non eandem expectâſſet miſeriam, nervis jam in ipſo mali limine ac primordio adeò inquietis ac tumultuantibus. Non potuere non videri ſingulares iſtæ tendinum, dum Pulſus tangebatur, ſubſilitiones, ac tenſivi tremores(facilè à Pulſûs vibratione ipſa impulſuque diſtinguendi) cum æger nondum adeò malè haberet, eſſet in morbi quaſi limine conſtitutus, nec ingentes comparerent adhuc in ſanguine turbæ; Et prævaluerat tamen jam ſubtile illud, inimicumque nervis venenum, quod proteiformes poſtmodum moleſtæ huius comœdiæ (exitum ſi ſpectes, tragœdiæ, ſi decurſum) ſcenas exhibuit, totque induit facies, tot nocendi artes tentans; cujus, nî fallimur, quoque pars erant tormina ventris, diffuſi poſtmodum et in artus, ſpiculis hoſtilibus nervos jam paſſim pungentibus vago inſultu, nunquam tamen penitus ceſſante.

Revocantque ipſa hæc ſub exordium morbi nervorum irritamina, ac tendinum ſubſultus in memoriam, alium ju-

venem, virili ætati propiorem, quanquam in decurſu demum morbi talia paſſum, cuius ſanè morbus haud fuit nequitiæ minoris, aut indolis minus ſubdolæ ac mutabilis, ad cujus quidem conſiderationem eò magis lubet digredi, ut diſcentes anſam opponendi inveniant in ægris adeò inter ſe ſimul et diverſis, et convenientibus. Hic diu jam multisque retrò menſibus ſiniſtri humeri pertinacem ſenſerat dolorem, per vices graviter afficientem, hanc ſubitò evaneſcentem non potuit non mirari, ſimul tamen moleſtè circa præcordia affectus, correptusque horrore febrili, ut decumbere mox cogeretur graviſſimè laborans dyſpnœa ingenti ac moleſtiſſima, tuſſi ferociente, ac dolorifica, ob intenſos præcordiorum dolores, puncturas, lancinationes, imò, ut vocabat, lacerationes, ſummasque anguſtias pectoris, ut tuſſim maximè extimeſceret, ob thoracis motum dolores admodum augentem. Abhorrebat à venæſectione, quæ et dilata hinc fuit, cum nulla ſputi cruenti adeſſent veſtigia, urgentbius tamen ſtricturis, ſpaſmiſque, præcordiorum dolorificis, repugnante licet ægro, inſtituta eſt, neque enim ſemper ipſorum arbitrio relinqui res poteſt, cum aliquando diu ſpaſmodicas ſtricturas ſimulare pleuritis in occulto ſerpens ſoleat, ac tum demum cruento ſe manifeſtare ſputo; neque enim fidendum cenſuimus hoſti ſubdolo; cum inſuper manifeſtæ eſſent Sanguinis, quas vocant circa præcordia aggeſtiones, et ſtaſes quædam, eo minus tutæ ac tolerabiles viſæ, quod ille humeri diuturnus dolor evanuiſſet ſubitô, iſtamque periculoſiorem viſus eſſet delegiſſe ſedem, metaſtaſi haud parum his rerum circumſtantijs formidanda. Acceſſit ad dolores thoracis graviſſimos, anxiamque penitus reſpirationem ſymptoma aliud tertia ab invaſione die, frigus ſcilicet extremorum ſingulare: Non querebatur de horrore, vel rigore febrili, ſed manui Pulſum exploranti exhibuit artus intenſo frigore glaciem æmulantes, urebantur interna, externa frigebant, eum ferè in modum, quo ſolet contingere in iis

 qui

qui interna inflammatione ad Gangrænam, ſphacelumque magnis paſſibus tendente correpti ſunt, meritò igitur omnia hîc ſuſpecta erant, cum non leve id ordinariumque febricitantium frigus eſſet, ſed intenſum et quod grave eſſet manui contingenti. Uti igitur Bezoardicis, atque pectoralibus remedijs ſanationis jam Principium erat factum, ita aſſiduè nunc iis duximus inſiſtendum: Pulverem Pannonicum r. atque alexi Pharmac. Cam. cum Antimon. Diaphoret. Spec. Diatragac. Diair. &c. mixtum in Aq. fumar. et ſcabioſæ quovis exhibuimus trihorio: Pilulas ex liquirit extr. atque Helen. Caſtor. &c. aſſumſit Thée ſpecificum ex Herb. Veronic. Betonic. Heder. Terr. Scabioſ. Flor. cichor. nymph. Rad. Helen. Chin. liquirit. ſorbillandum frequentercomendavimus: Eclegma porrò datum ex Looh ſan. et expert. diacod. liquid. Syr. d. jujub. d. Hyſſop. d. Praſ. d. liquirit etc. Decoct. Ord. ex ſpec. decoct. Pectoral. florumque et fruct. paratum fuit. Pectus inunctum Ung. pectorali Aug, cui add. ol. verbaſc. è flor. ſlot. chamomill. deſt. carv. Sperm. Cet. agnovimus dein febrim continuam viſam axacerbationibus diſtingui, ac Tertianam æmulari malignam, cum frigus illud intenſum ac ſingulare rediret, anticipando per aliquot horas, ita ut ſenſim mutaretur ſiccum frigus ſequentibus exacerbationibus in ſudorem frigidum, anxiumque: Simul intenſus thoracis dolor ac lancinationes enormes aliam quoque ſubibant metamorphoſin, ſuperſtite tamen dyſpnœa, ac ſi enim ſpaſmodicæ iſtæ ſtricturæ indignè ferrent anguſtis unius thoracis conſtringi limitibus, evagari illis latius viſum eſt, ſuccedentibus ſub Paroxyſmorum inſequentium Periodis, imò et intervallis, ſpaſmodicis artuum tractionibus, atque, concuſſionibus, labiorum diſtorſionibus violentis,] ipſiusque abdominis frequenti quaſi ſubſultu, irritatione, ut viſum, ad meſeraicos prorepente nervorum plexus: Accedebat eodem tempore ſumma virium dejecto, dyſpnœæ intenſior gradus

dus, æſtus, ſudorque, immanis, paucis extrema omnia ac dejectus ægroti animus, de imminente jamjam Epilepſia ſummè anxius; Veſicatoria igitur ſuris appoſita, quæ reſpuerat antea æger, nunc vix tempore conſueto quidquam effecere, tandem veſicas obtinuimus, ipſa tamen mali pertinacia fuimus coacti tertiam, quartamque etiam excitare veſicam, cum pertinacia ſpaſmorum quod occupaverat ſemel nervorum ſyſtema ægrè derelinqueret. Addidimus Pulveri Lapid. Bezoar, ac Smaragd. præp. Pulv. Epil. Mir. M. Epil. Marchion. Chaquerill. ac peruvianum dehinc Corticem. nitrique portionem ſufficientem, qualemque præcordiorum ratio ferebat: Electuarium ex Conſ. Cichor. Roſar. Papav. Err. cum Syr. d. jujub. ac d. Praſ. datum; Mixturæ ex Aq. Fumar. Beton. Fl. Til. cum Elect. diaſcord. F. Liq. Corn. Cerv. ſuccinat. Antimon. Diaphor. Cinnabar. Nativ. Syr. Pœon. &c. Ol. è Flor. Slot. Ruth. Caſtor. lumbricor. Spir. lumbricor anth. &c. ad inungendam ſpinam dorſi ventremque. Violenti erant atque, formidabiles ægro, adſtantibusque Paroxyſmi neque facilè ob pertinaciam tollendi, adeò ut nunquam non videretur in herba adhuc occultior latere anguis: donec tandem pluribus anticipans horis exacerbatio miteſceret ſenſim notabiliter, inque ipſa ſomni nocturni intervalla incideret, cumque omnem primò ſomnum excluſiſſet, illo tandem ſubrepente, extractoque Bezoardico C. additis Extr. Helen. Caſtor. Pœon. Ruth. Cinnab. Nativ. promoto, quin et emulſionibus ex ſem. 4. frig. ac ſem. papav. interpoſitis noctes evaſere pacatiores, quanquam diu ſuperſtites eſſent membrorum tractiones, ſuccuſſionesque, labiorum ſtrictura primùm ceſſante, ac abdominis illa concuſſione quam ſupra allegavimus moleſtiſſima evaneſcente primitus, donec et artuum motus, qui et vigilanti et dormienti frequentiſſimè acciderant, conquieſcerent tandem, viribus lento licet greſſu reſtitutis, ac ſub tardiore

 nec

nec à febricula ſuccedente lenta planè immuni convaleſcenti
humeri dolores priſtini poſtliminio conſueto ſe in loco rurſu
exhibuere. Singulare ſanè hîc fuit ingens illud ad tactum frigus
quod adeò ſolicitos nos de inflammatione interna metuend
reddidit; ſingulare enim omninò eſt tantum extremos occu
pare artus gradum frigoris, ut nihil inde percipiat frigori
reliquum corporis et internæ partes nota enim eſt ordinari
frigoris febrilis ratio; notæ concuſſiones, horroresque, hor
ripilationes uſque ad dentium ſtridorem ac reciprocas cita
taſque colliſiones: hîc verò nullus frigoris ſenſus, nulla ind
incommoda, ac ſummus ſimul frigoris ad tactum gradus: quic
verò illi hîc dicent, qui prima iſta febrilis Paroxyſmi Sympto-
mata frigida ac vigoroſa à materia febrili in tubulis cutaneis hæ-
rente, ſpaſmosque, excitante deducunt, viderint ſanè, qui
tantum tactu judice frigus, ſine frigoris ſenſu corpus ejusque
penetralia obambulante queant ex jisdem deducere Principjis.
Oportet ſanè ſtaſin humorum his in partibus fuiſſe ingentem,
vel progreſſum, ſi mavis eorundum, ac promotionem tardiſ-
ſimam, quæ tanto frigori cudendo, totiesque producendo
par fuerit: ac teſtabantur ſanè de illa ſanguinis ad promptio-
rem circulum ineptitudine ſtricturæ ac dolores thoracis, dyſp-
nœa, auxietasque ingens, atque adhuc magis ſubſequi
partium ſpaſmi, ac ſuccuſſiones, eidem Principio, nervos
laceſſenti, adſcribendi omninò, nec à ſola præciſè ſpecificâ-
que acrimonia accerſendi: Pertinax, quæ jungebatur, alvi
conſtipatio, ad ſtricturas plexuum abdominis dubio procul
haud parum contribuit, unde et enemate ex oleo leni adhibito
citius quam artuum ſpaſmi ſolvebantur.

Redeundum verò in viam, ſiquidem egreſſi ea videamur
affinem morbo noſtro cognatumque affectum pro illuſtra-
tione ejusdem contemplantes, conferentesque. Ut ut enim
eadem preciſè non fuerint ſpaſmodicæ utriusque ſtricturæ,

eandem

eandem tamen dubio procul agnovere originem, ſtaſin ſcilicet orgaſtici, turbatique, febriliter ſanguinis, nervos prementem laceſſentemque. Hinc in ægro hoc noſtro Urina nunquam tincta in Principio, nunquam turbata, noxiis, impuriſque, partibus profundè adhuc ſanguinis Maſſæ immixtis, nec dum ad renum tubulos ſalutari fuſione ſeri amandatis: Uti ſolet plerumque, et phrenitide, vel convulſionibus imminentibus evenire in malignis febribus, ut aquea, limpidaque compareat Urina. Quamquam in altera ultimoque hoc ægro haud æquè ſegniter turbata fuerit Urina, ſed ſpaſmis jam per ambitum relicto aliquantum thorace diffuſis ſpiſſiſſima turbatione, ac ſedimento conſpicua evaſerit.

Uti verò ultimi hujus ægroti morbus continuam primò et æquabili curſu decurrentem referebat febrem, donec pedetentim typum malignæ tertianæ moleſtiſſimis exacerbationibus acquireret, ita primi, qui Diſſertationi huic dedit occaſionem materiemque, ægri affectus nullum toto decurſu typum aſſumſit, ſed perpetua anomalia nequitiam ſuam fallaciasque texit: non quod exacerbationes haud fuerint manifeſtæ, ſed quod tales ſine ordine ſtatâve periodo vagæ fuerint, unde et dudum febres iſtiusmodi dictæ ſunt proteiformes ob mutabilem incertumque genium, atque eò periculoſiores ſtruentem inſidias, quo occultiori invaſione intima vitæ ſtamina arrodere ſolet ac depaſcere.

Quid verò poterat inopinatò magis accidere, quam ſpaſmodicum illud aſthma, vel quomodocunque libuerit vocare acceſſionem illam Paroxyſmi convulſivi, qui reſpiratoria organa tanta ſubitò violentia occupavit, ut vitæ finem inſtare quotquot aderant adſtantes opinarentur. In homine enim ipſo nativitatis charactere hæreditario affectibus nervinis expoſito, ac violenta tendinum trementium tenſione prius jam per priores morbi dies detento territoque, quid non metuendum erat ab aſthmate tam violento tantaque viarum aëris inſpirandi

in-

ingreſſui dicatarum conſtrictione:quàm facilis ad epilepſiam tranſitus, quàm pronus in catarrhum ſuffocativum prolapſus; quantumque habebat de quo ſibi gratularetur, cum ſubſequente die pluribus quidem horis citius, non niſi primos mali ejusdem inſultus perſentiſceret, accedente tamen perduranteque aliquandiu ponderis ſenſu corpori quaſi impoſito illudque gravante, aggeſtione ſcilicet ſanguinis ac cumulatione circa præcordia, fibrarumque ſtricturis tum non eo uſque evaleſcentibus, ut priſtinam luderent Tragœdiam, ita tamen jam denuò inſurgentibus ſuaque redeuntibus ad principia, priſtinaque veſtigia, ut ſufficerent tamen ad iſtum ponderis ſenſum, anxietatem, ac prima reſpirationis penitus cohibitæ molimina, quæ paulò ante meridiem ne cogitantem quidem de his denuò invaſère ægrum, mitius tamen ob remedia hactenus aſſiduè internè externèque, tanto malo diligenter oppoſita. Spiritus enim eccentrici atque irritati ab antiſpaſmodicis mitibusque anodynis jam erant magis ſedati ac compoſiti, orgaſmus humorum nitroſis Bezoardicisque pulviſculis ac demulcentium Emulſionum refrigerio erat nonnihil cohibitus, ac volatiles cornu cervi, ſuccinique moleculæ obſtructos nervorum tubulos paſſim jam reſeraverant, tonumque ſyſtemati nervorum aliquem reſtituerant, ut deflagrante interim pergenteque, in incendio ſuo febrili ſanguine iſti tamen anxii ac formidandi motus ſtrictorii præcordiorum averterentur ac contiſcerent.

Alvus verò quantum ponderis in morborum iſtius modi decurſu habeat dici non poteſt, unde et in ægro hoc noſtro ejus officiorum diverſa ratio ac conſtitutio.(libet enim nunc de iſtis loqui certo ordini in caſu hoc contemplando non affixis) morbi Periodos haud leviter diſtinxit, inque, ipſa hac reſpirationis difficultate cudenda momenti haud parum habuiſſe videtur; Cæterum in his graviſſimis affectibus æque aſpici oculis iniquis alvi conſtipationem atque; eius fluxum nimium extra

tra controverſiam eſt. Unde et ob perpetua alvi tormina nihil non metuebamus, hinc ob diuturnam conſtipationem graviora minantem, inde ob metum ſolutionis largioris metuendæque diarrhœæ multis nominibus formidandæ ac ſuſpectiſſimæ. Palàm enim erat nondum adeſſe morbi finem, omnia ad ἀκμὴν tendere, latere adhuc quædam occulta tòt criteriis innoteſcebat. Nec deſinebant obverſari oculis tot triſtia exempla diarrhææ fatalis malignæ febri ſupervenientis; et quem poteſt latere nunquam adeò in variolis affinibusque morbis terrere tardiorem alvum, quam diarrhæam vitæ nimium inſidioſam, commendent quicunque velint in variolis clyſteres, cautiores rarius eò confugient, opem aliunde tardius licet expectantes, cum toties diarrhœis iſtis data ſit occaſio, occaſionem dicimus probè gnari, per ſe innoxium eſſe clyſterem mitem, blandumque, neque tamen circumſtantias ſi ſpectes erit innoxius qui anſam præbere graviori malo, canemque, quod ajunt dormientem excitare valeat. Quantas verò ſtrages ſuperveniens febribus malignis diarrhœa paſſim excitavit, ut plurimum lethalis. Ridebunt equidem iſta qui recentioribus experimentis metum hunc nobis facilê exempturos ſe credunt fautores laxantium, imò purgantium in febribus malignis imò petechiis exhibendorum cum fructu ac ſalute tot ægrorum. Neque verò nos cuiqam ſuam quam rite fecerit experientiam vocabimus in dubium, neque noſtram tot annorum obſervationibus firmatam quadam animi levitate deſeremus. Eſt ſanê ingens malignorum morborum varietas, neque eadem quocunque loco et tempore indoles, tum in adoriendo tum in terminando. Quoties extrema quævis à levi diarrhœa, levibusque alvi adminicalis obſervavimus pericula.

Sed nec diffitemur fuiſſe certas graſſantium febrium ac petechiarum ſpecies ac periodos, queis iſtæ haud noxiæ ſupervenerint. Quemadmodùm tot inſignes Medici teſtantur venæſectionem in malignorum principio eſſe neceſſitatis

atque utilitatis ſummæ, quam tamen toties in variis ejus morbi ſpeciebus ac periodis non inutilem modò ſed et funeſtum ſumus experti, ita ut ij ſæpè omnes quibus ſecta fuerit vena occumberent cæteris evadentibus queis ſangis ſubductus non erat, adeò non ægri ſolùm jdioſyncraſiam, ſed et morbi oportet noſſe atque aſſidua obſervatione ſibi probè perſpectum reddere. Fatemur hinc diu nos hæſiſſe dubios, an enema permittendum applicandumque ſit? Nondum liquebat progreſſus morbi ulterior, nondum adeò res extra periculi aleam poſita videbatur; Vicit tamen ægri inſuperabilis impatientia, recuſantis ferre diutius tormina ventris perpetua et alvum ſimul adſtrictam pati. Tam parum olej jnjectum non levibus turbis anſam dedit, non ſequebatur levis excretio ſed emollitis jam fecibus aſſurgebat vellicata natura, fibræque oleo leviter delibutæ, ſedecim vicibus alvum exonerârunt ſolveruntque quo viſo non potuimus non metuer eviribus, vomitu cumprimis accedente jterato, materijs utr nque excretis nigricantibus ac proin ſuſpectis. Melius tamen res ceſſit, argumento tamen evidenti, ſi quid agendum, ſi quid dandum vel ægris vel adſtantibus, id debere eſſe ſtatui, corporique proportionatum, mite, ac minimam quantum licet, efficiens irritationem.

Obſeravimus ferè ſimile quid in fœmina ſexagenaria, quam annis jam ab hinc ſedecim hydrope laborantem DEI gratia à malo graviſſimo liberaveramus: hæc febre horrore mediante correpta continua, admodùm ſubdola ac proteiformi ſe haud credidit adeò male habere, morbo occultis gliſcente paſſibus, et præcordia cumprimis ſtringente, unde gravis dyſpnœa nulla expectoratio, tuſſis intenſa: pectoralibus infuſis theeformibus, Eclegmate unguentis maloivimus obviam: vires erant admodùm proſtratæ, nihil efficiebant vèſicatoria Emplaſtra, continuo calore cum exacerbationibus tamen corpus depaſcente atque occupante. Obtenta tandem aliqua expectoratione aliquid egeramus morbo tamen graviter

in

incumbente. Jacebat ita per novem dies ægra:(quæ poſtquam convaluit iſta plenius demùm enarravit, omnium probè adhuc conſcia) firmiſſimè perſuaſa ſe cum in lecto aliam adhuc perſonam jacere, quæ iſta ſua ſymptomata pateretur ipſa ſpectante quaſi & ejus curam gerente, cum cœtera mentis egregiè fuerit compos ac plenè ſecum habitans. Sed ad rem, morbique terminationem, cujus gratia iſta recenſemus. Supervenit tandem exhauſtæ miſerrimæque fœminæ ac cum morte quaſi luctanti, diarrhœa largior, pluribus etiam urgens vicibus enormi conatu; accedunt vomitus violenti, & quod mireris merum æs viride referentes, non aliquali virore, vel ad viridatem inclinatione, ſed profundiſſimo colore abundantiſſimi ſimul quà quantitatem; quibus ſanè tranſeuntibus non ſine terrore adſtantium ac liberorum traſijt unà ſubitò mentis ille error, accumbentisque ægræ idea tam firmiter prius hærens animo afflicto, ſenſimque acſenſim omnia fiebant tranquilla, donec tandem accedente poſt multa remedia Bezoardica, nitroſa ac pectoralia, alijsque lentam, quæ ſuccedebat febrem expugnantibus in plenam cum ſanitate gratiam rediret excorci fanibus erepta, uti ipſa tot malorum gravitate perculſa rem expreſſit.

Hic ſanè periculoſa ſymptomata, et quæ non poterant non incutere terrorem in ſalutem ægræ tendebant, et Criticos naturæ motus ſecum ferebant, adeò ut ab ipſo illo tempore graviſſima remitterent morbi mala, quemadmodum et noſtro huic ægro nihil poſt diarrhœam vomitusque acceſſit mali, quamquam tum demum ad expellenda exanthemata ſeſe accinxerit natura. Sed, inquies, unde vomitus iſte ſingularis (ut taceam alvina excrementa, et in noſtro ægro nigricantia excreta ἄνω καὶ κάτω rejecta?) Viridium crudidatum, quod viridi æris cum ventriculo, corporisque noſtri ſuccis? aliquem virorem bili accedere in ſtatu præternaturali vulgatum eſt, hinc toties in voluminibus medicorum bilis virideſcentis, po-

raceæbilis mentionem factam deprehendimus, ſed tantum viroris gradum, ſummum illud viride minerale adæquans quis in humano requirat corpore; Sed quò non poſſunt deſciſcere depravati, degenerantesque ſucci, qui eousque ſubinde acrimoniæ, ac corruptionis aſſurgunt, exaltantur que, ut ea corpus violentia afficiant, quà venenum aſſumtum ingeſtumque ſtomacho, ut difficile evadat judicare ex cadaveris inſpectione, an ex veneno intus genito obierit homo, an ex aſſumpto hauſtove deducendæ ſint; quæ obſervantur læſiones: neque id mireris in febri acuta, in corpore tot pravis ſuccis à tot retrò luſtris referto infarctoque, magis id mirabile cenſui, atque extraordinarium ſub id ipſum tempus in fœmina robuſta, non nihil tamen hypochondriacis, hyſtericisque ſubjecta ſubinde moleſtiis, athletici cætera habitus. Hæc deſcendens per ſcalas admodùm acclives, collocataſque ad angulum valde acutum, hærente alicubi crepidâ, præceps deorſu mirè torto ſub lapſu inflexoque corpore labitur, alliſoque inferius capite parvulovulnuſculo in bregmate notatur, multum tamen ſanguinis fundente, illa et lapſu et terrore et capitis alliſione debilis atque attonitta defertur in lectum, vulnuſculum mundatum à Chyrurgo deligatur, ſuperveniunt de hinc ſymptomata gravia, deliquia præter capitis dolores, gravationumque ſenſum, frequentiora, ſpaſmi interni, hyſtericæ ſuffocationes, adeo ut de fiſſura cranji ſubiret cura ac cogitatio, ob graviſſima ſymptomata, cum primis quod accederet enormis violentusque vomitus humorum adeò intenſè viridium ut cum quocunque æris viridi certare poſſent, pravique ſaporis ac nauſeoſi eſſent. Remediis tamen cephalicis, hyſtericis, nervinis, fixioribusquè ac volatilibus, cinnabarinis atque nitroſis interpoſitis, externè quoque admotis confortantibus, ac diſcutientibus neceſſarijs, brevi & graviſſima ſymptomata ceſſavere, & colauit integumentorum cranij vulnuſculum. Unde tam viride ſtagma in robuſto, nec cacochymico corpore?

re? Sed eadem hîc ſubeſt ratio; robuſta iſtiusmodi corpora pravis ſœpè ſuccis ac facilè ulterius degenerantibus ſcatent atque utut tota humorum maſſa cachectica labe affecta non ſit pravos tamen vel primæ viæ, vel uteri anfractus cellulæque (ecquem enim ſingularis illa uterinorum integumentorum ſtructura latet?) plerunque alunt, ac fovent, in hypochondriacis maximè liene ſymbolum conferente. Ludunt verò colorum ſchematiſmi atque nunc hunc, nunc illum referunt colorem, pro ſalium admixtorum ſulphurearumque molecularum varia combinatione nataque hinc lucis modificatione. Noſtro ad minimùm ægro nigricans iſte excretorum color nihil obfuit, qui ſæpè funeſtus eſt, ac de ſanguine in primis vijs extravaſat, corruptoque indicium præbet.

Quid verò de iſto dicemus delirii genere, ſiquidem & delirij facienda mentio, cum de ægro noſtro aliquoties dubitaremus an deliraret, an in ſomno loqueretur minus cohærentia; ſunt ſanè mirandæ, ac ſingulares deliriorum ſpecies in febribus; peſſimi ſæpe moris febres nihil inferunt delirij, cum ex adverſo vel in ſimplicis tertianæ paroxyſmo quidam graviter delirent, pro jdioſincraſiæ diverſitate, et vario ſpirituum tono ac vigore, variaque dejectione ac turbationis eorundem modo. Hæc ad minimùm ſpecies frequens in morbis & ſingularis eſt, quam fœmina iſta poſt morbum recenſuit, inque ipſo etiam teſtata eſt morbo, accumbentis ſcilicet ſibi alius perſonæ impreſſa firmiter jdea, adeò à ſe ipſa aliena eſt mens, vel à ſuo potius ſub iſtis turbis corpore, ut id ad ſe pertinere vix exiſtimet, idque proin tanquam alteram conſideret accumbentem ſibi, cujus quaſi curam gerat, perſonam; cum ad mentem ex feſſo corpore, confuſisque et debilitatis admodùm ſpiritibus per internos externosque ſenſus non conſueto vigore tanſeant ſolitæ perceptiones, impreſſionesque ſed lanquidius ac dolorificè ſimul moleſteque ſub tumultu illo turbisque in ſanguine, quorum fluctibus decumanis ex pravis

C 3 qui

qui ſanguinis maſſam inficiunt humoribus ingens confuſio transfunditurfacilè in animales ſpiritus, quorum hinc tanta obnubilatio eſt, ut ijs tam obſcure tremuloque motu ad mentem appellentibus, illa vix jam ſuos agnoſcat|amplius ſpiritus deque ijs tanquam alienis malit ferre judicium, adque ſe haud pertinentibus.

Præ alijs terrere nos poterat inter verſuti 'aſtutias morbi illa, quæ veſicarum per chantarides excitationem reſpicit circumſtantia; non quod dubij hæreremus, an applicare iſtius modi emplaſtra tutò liceat ægroto huic nervorum iſtis obnoxio ſtricturis, utut enim ea hodie non pauci reddere velint ſuſpecta, ac forſan & hoc in ſubjecto deprehendiſſent ſuo calculo prohibentia ſigna, nos tamen experientia tam multiplici inſignem eorundem utilitatem atque efficaciam vidimus confirmatam, ut nulli planè dubitaremus ea, ſatis etiam ampla ſurarum parti interiori affigere; Sed aliud erat, quod nos tenuit ſuſpenſos, torpor ſcilicet emplaſtrorum, huic etenim primùm adſtantes tribuebant veſicarum poſt elapſas ab emplaſtri impoſitione horas pluſquam ſedecim omnimodam abſentiam; verum non fuit emplaſtri accuſandus torpor, quod vel ipſis illis diebus alijs promptiſſimè ac conſueto tempore excitaverat veſicas amplas, turgidasque ſero copioſiſſimo, unde chirurgus conſpecta illa diverſitate haud parum percellebatur, qui non raro obſervaverat fruſtra, exſpectari excitationem veſicaram in,ijs qui fatiſcente jam naturæ robore ad mortem propius accedunt imminentem; uti enim ſpicula cantharidum agunt efficaciter in fibras partium ſuaque irritatione affluxum acris ſeri ac collectionem ſub cuticula, infinitis quaſi ſpinis parvulis infixis procurant (adeò ut in vivaci ac patente rite corpore facilè eorum aliqua ad vias ferantur urinarias adeò diſſitas, easque dolorifica afficiant ſtrictura) ita ex adverſo accedente jam natura debilitata ſpirituum torpore, fibrillarum remiſſo tono ac ſenſilitate imminuta, ſuccis jam ſpiſſeſcentibus, torpidiusque

ac

ac tardius motis , tenerrimis iſtis ſpiculis ſuus non reſpondet effectus non percipiuntur, ut par erat ſtimuli, non funduntur craſſiuſculi humores , nec attolli in veſicas collecti poſſunt; Meritò igitur triſtibus occulis contuentur iſtius modi veſicarum abſentiam adſtantes de ægri vita ſoliciti plerumque admodùm et anxij , quæ rebus ſic ſe habentibus periculoſo eſt in ſtatu. Quamquam vel eventus nos lætior poſtea docuerit non hanc fuiſſe fatalem abſentium veſicarum cauſam ; quænan igitur illa fuit ? Satis ad minimum turbarum in ſpiritibus et genere nervoſo , confuſſionum in ſanguinis maſſa plus quàm ſatis erat, nec quid quam defuit ad periculum præſentaneum in ſtatu hoc morbi tamancipitis, tamque ſe occultantis, nec immeritò minabatur ſuſpecta illa circumſtantia periculum , incutiebatque metum licet enim mors in limine non eſſet , erant tamen omnia ita cofuſa et turbata, uti ſolent evenire morte appropinquante , humorum tardior ob orgaſmum , ac valdè turbatam mixtionem motus , ſpirituum nervorumque torpor ac diſtractio quin et diſſipatio eorum , ariditas cutis à calore ſicco , ac proin ſubtilium ſpicularum præſentium licet et agentium non ſufficienter percepta irritatio ſufflaminabant aliquandiu elationem veſicarum , qua altera adhuc die recentibus denuò emplaſtris adhibitis conſtanterque eodem in loco detentis elevatæ ſunt ſufficienter , non tamen ea largitate atque plenitudine ſero abundantes, quâ aliâs ſolent , ob confuſas adhuc ægri res , humoresque ad ſeparationem puri ab impuro nondum ſatis diſpoſitos , paratosque.

Jnterim nec talibus veſicis , utut plenioribus minusque plenis laudabilis de erat effectus; erat tamen ob factam alibi, ſi per circulationis leges loqui ita liceat , revulſionem vellicationemque ſpirituum quædam facta ſuſcitatio , provocatioque ad novum vigorem , priſtinique elateris exercitium liberius & ſi quidem revulſionis vocabulum ferre nolis , reſervaturus id revul-

revulſoriæ venæſectioni, ſi (ſiquidem et hanc circuli ſanguinis haud facilè necimpunè turbandus ordo admittat)dicamus actionem hanc ſpiritum avocationem quandam à turbis excentricis, imò revocationem potius à vagis erroribus, ac titubante undulatione, in quam conjecti fuerant à turbis ex partium minimarum in ſanguinea maſſa receſſu confuſo oriundis; id enim præter ſpem obtinuimus ut graviſſimi iſti ſpaſmodici aſthmatis inſultus nec plenè redire, nec tranſire in ſpaſmos alios graviores, quos metuebamus, atque univerſales poſſent; utut enim inſignem iſtum effectum ſolis veſicatorijs non audeamus adſcribere, cum et remedia magno agmine conjuncta Bezoardica ac nervina, interna ac externa eò ſuum contulerint ſymbolum, inter præcipua tamen referendi erant infixi tempeſtivè cantharidum ſtimuli, qui utut non ſtatim percepti veſicas provocaverint, non deſiêre tamen efficaciter laceſſere ſpiritus, fibras, nervosque, donec acris particulam ſeri ad ſua traxerint pomœria, collectisque illis liberaverint corpus ſanguinisque maſſam portione aliqua acrimoniæ ac impuritatis, queis ſcatebant, adeò ut non excitando ſolùm ſtimulandopue, juverint, ſed et ſubducendo peccantis maſſæ portionem haud contemnendam, cum neminem Medicorum lateat, quantum ſæpè vel leviſſimæ, imò vix perceptibilis liquorum maſſulæ, aut acrimoniæ tantillum ſecretum alicubi excretumque emolumenti ferat in graviſſimis etiam malis, ut ne concipere quidem aliquandò liceat inſigne levamen à retantilla. Pulſus in iſtius decurſu morbi nunqaum non ad deceptionem erat comparatus nec licuit illi unquam fidere, adeò ſe quaquaverſum extendiſſe nequitiam obſervavimus; plerumque enim erat celeritate mediocri, ac robur unà mentiebatur haud omninò nullum, et ſiquidem de pulſu ſibi relicto, excluſis vicinorum tendinum, qui digitos tentantes feriebant ſubſultibus, ſermo fuerit, nec deeſſe videbatur æqualitas, uniformitasque; accedebat fallacibus his ſigne Uri-

na

na parum tincta, nec in principio unquam turbata, vel ullo conſpicua ſedimento. Et quoties, quæſo, ſuſpenſum Medici animum iſta in morbis malignis efficiunt, quoties decipiunt incautos, minusque attentos, et ſecuriores quâm par eſt, adeò, ut in proverbium abierit tritum illud: Urina bona, pulſus bonus, æger moritur!

Nunquam ſanè minus fidendum malignis febribus, quàm ſi iſta ratione blandiantur; latet anguis in herba, quò tranquillior viſus eò graviore ſaucium vulnere ægrum mox relicturus, vel potius occupaturus, malignitate penitius ſe inſinuante principio vitali, potentiusque ſuas exerente nequitias. Quemadmodum enim monſtri plurimum alit Urina, quæ in malignis ſubito ex ſpiſſo, turbidoque ſtatu, cum ſedimentum craſſum, farinaceum vel qualecunque aliud oſtentaret, tranſit inopinatò in tenuem, aquoſam, limpidamque et fontanæ æmulam aquæ, phrenitide utplurimum vel convulſivis motibus proximè imminentibus; ita et ijs in caſibus ubi ex alijs circumſtantijs latere amplius non poteſt malignitas morbi, ac perverſi ejus mores, ſuſpecta meritò erit urina citrina, non aquoſa quidem ac limpida, ſed nec ulla turbatione indicans ſeparationem puri ab impuro à Maſſæ, in mixtione turbatæ, niſibus excretorijs brevi ſperandam, ſalutaremque ſic promittentem criſin atque exturbationem moleſti hoſpitis ac venenati. Et quemadmodum pulſus, qui ex forti, celerique in malignis fit minor, debilis, ac intermiſſione aliquali ſuſpectus non immeritò terret, ita nec ille placere poteſt vel proſperum promittere eventum, qui manifeſtis aliunde ſignis pluribus malignis morbi moribus, blandiri tamen tarditate ſua qualicunque et ordine ſuſpecto audeat.

Memorabilis verò cumprimis videbatur æquinoctij & plenilunij eundem in diem conſpiratio ac concurſus, qui equidem accidit ægro noſtro tot jam periculis defuncto, & morbo ad declinationem magnis jam paſſibus tendente, neque tamen ſic

fuere iſta cœleſtia phœnomena ſine notabili impreſſione in corpus iſtud ægrotantis tranſmiſſa. Non omnem illam ab ovo, quod ajunt, controverſiam ordiemur atque hîc inſeremus; an ſcilicet æquinoctij tempora morbis exacerbandis, acuendisque aut novis procurandis aliquid valeant? Cum enim tot experimentis atque obſervationibus quotidianis lunæ phaſes inſigniores vim habere in humana corpora haud levem compertum ſit, cum tot coincidentes iſtis morborum mutationes atque incurſus ad fortuitos caſus ac coincidentias caſuales referre vix ſine imprudentia liceat; de æquinoctijs tamen alij majore jure dubitare ſe autumant, quod iſta neque exemplis oſtendi tam manifeſtis ac crebris queant, nec ullum videantur admittere cauſarum, quæ veriſimilitudine aliquali allegari queant, nexum.

Jn hoc ſaltem ægro noſtro manifeſtiſſima erant dîe iſta, quam et æquinoctium et plenilunium concurſu ſuo notaverant morbi incrementa, cum equidem denuò calor per vices inſignis ea die intenderetur atque recurreret, qui diebus præcedentibus non omnino quidem evanuerat, mitioribus tamen acceſſibus atque exacerbationibus levioribus ſe ſe exeruerat, hac autem die notabili augmento diſtinxiſſe videtur æquinoctialem diem. Et ſanè ab ægri noſtri genio iſta eò minus videbantut aliena, quò majori ac hæreditario quaſi jure eum ſubeſſe ſenſibilibus iſtiusmodi phænomenorum cœleſtium impreſſionibus aliæ docent circumſtantiæ, cum mater inprimis crebris morborum inſultibus ipſa ſolſtitij, atque æquinoctij tempora, diesque formidandos ſibi eſſe, experientia jam multiplici didicerit, quæ à Lunæ iſtis phaſibus quarum aliâs efficacia crebrior, manifeſtior, ac quà cauſarum aſſignandarum ſpeciem probabilior haberi ſolet, tantundem haud pati hactenus videatur. Eritque operæ pretium unicum ejus rei ſpecimen exhibere incidens exactè in tempus æquinoctij autumnalis: Poſt varias ac diuturnas animi agitationes ac contentiones affectuum cum diutius

tius ſenſiſſet capitis gravitatem ac pondus quaſi quoddam inſolitum, ut illud in pulvinari reclinatum vix valuerit attollere, ob inſigne ut videbatur (ob ſpiritus nervosque et fibras debiles) capitis pondus, acceſſit odontalgia et vagi capitis dolores, qui adeò die æquinoctium præcedente increverunt, ut lecto decumbere cogeretur ægra, nocte inſequente ſatis placida, ipſa verò æquinoctij die hora decima matutina ſubitanea ſenſit dolorum incrementa, intumuerat præcedente die gena ſiniſtra, nunc iterum tumor ille, intempeſtivè forſan, ſubſedit, nec tamen penitus evanuit, quin potius leviter ſe ad colli partes inferiores extendit, cum dolorifica muſculorum tenſione perpetua quidem, ſed et frequentibus paroxyſmis aucta, ubi ſimul ſiniſtri lateris temporum maximè ac reliquæ viciniæ intenſiſſimi cruciatus cum odontalgia accedebant, ſtricturis ſpaſmodicis vehementibus vaſa temporalia mirè in tumorem elevantibus, fibrasque muſculi temporalis ejusque integumenti adeò ſenſilis ſenſibiliter torquentibus cum lachrymarum effuſione enormi, anxietate ac triſtitia fletuque inſuperabili, ad reſpirationis uſque ſingultuoſæ violentam cohibitionem, quod phænomenon eò magis erat formidandum, quod metaſtaſis quædam mali olim familiaris, aſthmatis ac cardialgiæ ſpaſmodicæ facta ad caput videretur, cum ſolenne huic malo frigus extremorum et horripilationes ſeſe huic pariter junxerit; pluribus graviſſimi iſti paroxyſmi urgebant vicibus per intervalla nunc breviora, nunc longiora, evadebant vero ſemper hinc trucu lentiora hæc ſymptotmata, quo proprior erat ad ipſum æquinoctij tempus acceſſus; Sanè Ephemerides Æquinoctium ad diem Sept. 23. hor. p. m. 6. min, 58. aſſignabant; ipſis à meridie horis graviores uſque urgebant mali exacerbationes, maximæque augmenta capiebant anguſtiæ, hora p. m. tertia paroxyſmus vehementiſſimus erat, cum intenſo artuum frigore et anxietate fletuque intolerabili; Graviſſima hinc metuentes mala Chirurgum accerſivimus, qui venam ſecaret

caret ; reclamante ob æquinoctij metum ægra , nec iſtam tali die operationem admittentis ſinè reniſu inſigni ; Neſcio an Ephemerides exactè tempus æquinoctij determinaverint, an verò corrigendi forſan ſint ij juxta ductum noſtræ ægræ ejusque paroxyſmorum, adeò illi deſignabant quaſi tempora hæc aliorum calculo innoxia. Quicquid horum ſit ! ventilent problema illud alij de cognoſcendo exactè æquinoctij momento , quod vel optimis , maximisque aſtronomorum inſttumentis perquam fuerit difficile , imò vix poſſibile ſine omni errore , niſi maxima utaris ſimul induſtria et phœnomenorum collatione &c.

Hoc ſaltem nobis, eo in negotio ad utramque ſententiam indifferentibus et æquo inclinatis animo, quæ æquinoctiorum in ægro corpora vim vel adſtruant, vel vocent in dubium, videbatur manifeſtum ſemper violentum hoc malum increſcere, poſt horam quintam redijt cum ſingultibus ac fletu terribilis dolore atque anxietate paroxyſmus ſumma tum in capitis ſiniſtra parte tum collo fibrarum nervorumque tenſione ſumme dolorifica, fere ad deliquia uſque ſaltem ad mentis turbationem momento ante optimè ſibi conſtantis , imò ne nunc quidem quà omnia objecta turbatæ ; immiſimus mox calenti aquæ ſiniſtrum pedem (neque enim libuit metuere æquinoctium urgente dolorum malorumque agmine) creſcebat anxietas, dolor , ac confuſio , manabant lachrymæ , imò expreſſa à ſpaſmis ex ore largiſſima ſaliva , ſecta eſt vena , prorupit cum impetu plenoque rivo ſanguis æſtuans in arcum altè elevatus ut vaſculo poſſet excipi extra aquam largiſſimè cum impetu fluens , lachrymæ ac ſingultus increſcebant ; ſed en ! miram cataſtrophen, ictu oculi mutatur ſcena , jubet plus ſanguinis educi, non vult occludi venam , effuſus incipit riſus imò cachinnus ſpaſmodicus violentus incredibilis ac ferè inſanus non compeſcendus, manantibus adhuc lachrymis, effuſa mox lætitia , ſed nec illa diuturna , difficulter cohibitus ſanguis, ægra lecto reddita , mox pacata , prudens , laſſa ; Sed ne ſic quidem tragœdiæ finis

erat;

erat; paroxyſmos adhuc aliquos ad mediam uſque ſuſtinuit noctem ſed ſine fletu, ſine anxietate, ſolis intenſis doloribus capitis ac colli ſpaſmodicis jam affligentibus; ſanguis, qui affluxerat ater & cum impetu, erat mox concretus purpureus ſumme, ſcarlatinus talisque manſit, nullo ferè ſero cinctus; Urina dehinc turbida, laſſitudo ſumma, citatior paulò pulſus &c. huc jam non ſpectantia: quis non inde, quæſo, arriperet aliquod ſaltem pro veriſimilitudine efficaciæ æquinoctialis in morbis argumentum? quis non coincidentiam exactam & inſignem miretur. Sed non libet iſtis immorari, conjecturis; Nec enim iſta aſſurgunt altius.

Supereſſent plura, quæ non licet jam proſequi ob chartæ anguſtiam: phænomenon ſcilicet triſte, ſi ægri matutinis horis pejus habeant in morbo quàm veſpertinis, ubi ordinariò gravius laborant, adeò ut ſi ſecus eveniat, nihil non ſiniſtri metuant ſeduli obſervatores morborum; difficile fuerit aliam aſſignare cauſam ſpecialem, niſi quod inſolitum tale phænomenon apertè monſtret, in tali morbo omnia confuſa eſſe et inverſa, nullum ordinem, nullum morem benignum, morbique ſi melior eſſe debeat genio congruum. Torporem linguæ unde derivabimus? à ſpjrituum partim debilitate languide in partes muſculares loquelæ influentium; partim à ſpaſmodicis earunden partium ſtricturis. Serò eruperunt maculæ puſtulæve, (erant enim elevatæ pleræque non tamen omnes) an omnem illum diuturnum morbi curſum et apparatum præciſe arbitrabimur, ut iſta protruderentur exanthemata, tanquam morbilli quidam, vel purpura, vel affinis alius morbus ſui generis: haud ſane id facilè largiaris, ſi omnes penſitaveris circumſtantias; annon critici potius aliquid tribues his exanthematibus, quorum eruptione nequitia iſtius febris ſoluta, infractaque fuit, diu antea rebellis ac refractaria; unde et denuò pejus habuit æger cum aliquandiu erectus in lecto ſediſſet, cum ea quoque ratione repellerentur quodammodò vel ſaltem

non ita plenè ad peripheriam continuò propellerentur impuræ moleculæ, iſta formantes exanthemata; quanta enim à retrogreſſione iſtiusmodi exanthematum mala oriantur, notiſimum etiam in vulgus eſt, exemplis potiſſimùm variolarum, morbillorum, ac petechiarum. Et quid ſibi voluit tremor artuum? duplicem illum fuiſſe cenſemus primum in morbi ἀκμῇ à tenſis ſpaſmodicè atque inæqualiter fibris, alterum in declinatione à ſpirituum exhauſtorum debilitate. Ex iracundia verò intenſiſſima novus calor ideò excitatus eſt, quod tantus animi furor vix reſurgentes à tanta proſtratione vacillantium ſpirituum copias denuò nimium exagitaret ſimul ac proſterneret, unde non poterant non novæ corporis excandeſcentiæ ſeu calores præternaturales exoriri, humoribus ne tum quidem à præternaturali calore liberatis, ſed illo occultis adhuc per tempus longiusculum ſub cineribus quaſi gliſcente flammis ſeu igniculis: unde et tanta macies conſumti erat corpuſculi, tantaque debilitias, ut vix pedibus conſiſtere primum, ac diu ſatis vix movere pedes, corpusque iis ſuſtentare valuerit. Hinc adeò commendata corporis animique quies ac placidior ſtatus, quò dejecti tot ærumnis ſpiritus vigore novo imbui humoresque corporis calore lento adhuc infecti liberari eo penitius, inque naturalem reſtitui temperiem expeditius poſſent; adeò enim in ſtatu iſto convaleſcentis ægri tenera omnia debiliaque ſunt, ut ne cibum quidem paulò largiorem ferant, qui ſubinde graviſſimi origo mali eſt, ob ventriculi debilis atoniam ad omne nervorum genus ſe facilè extendentem. Sed nunc manum de Tabula!

† † †

PRÆ-

PRÆSES
NOBILISSIMO D. RESPONDENTI
S. P. D.

DUm patriæ dulciſſimæ ægrotis incipis mederi, æquum eſt, ut felicem ſtudiorum colophonem tibi gratuler, fauſtumque praxeos apprecer ultra vota ſucceſſum. Hæc pagina verò ne vacet penitus, nequitiæ febrium tribus verbis ſubjungemus ſalubritatem(ſi dijs placet) mirabilem ſepulchralis terræ, quæ tegit Abbatem Pariſium, Magnum hodiè Galliæ κρινόμενον. Terra enim delata ad incluſam ſepibus ſuis Religioſam virginem eam fertur monſtraſſe efficaciam, quam tumulus numeroſis obtuliſſe exemplis dicitur. Medicorum hic potiſſimæ ſunt partes, horum eſt judicare, ſi auſint, non Archiepiſcopi(aulæ favore ac *J*eſuitarum robore tumidi)an ſubitæ ſatis, notabilesque ſint jactatæ ſanationes, ut haberi pro miraculis queant? (Gratuletur ſibi Girardus Pater non incidiſſe acta ſua in caſſes Medicæ ſcholæ; hæc omnia rimans penitius, inveniſſet haud obſcurè mirabilia circa faſcinum, mirabilia circa vim paſſionum, ſtupenda eruiſſet circa orta ex binis iſtis abortûs, convulſionumque phœnomena; ſed requieſcant per nos in umbra lubrica iſta et indigna luce acta tenebrarum, quæ nec magnus Galliæ Cancellarins voluit extricare:) Abeſſe à partium ſtudio debet, quisquis ferre judicium velit; ea maximè in Eccleſia, quæ tam facilis aliâs eſt ac prona ad miracula ſtabilienda. An ſola obſtat Pariſij pietas? an ſolus *J*anſeniſmus impedit aſſenſum? Jta quidem eſt omnino. Si talia fierent ad tumulum Conſtitutioniſtæ, ſit verbo venia, quos non ederet plauſus devotus Curiæ Romanæ Præſul; nunc verò ignem vomit ac anathemata cum inviſa dogmata prodigjis indies nova fulcra acquirunt. Detexere Medici fraudes quasdam ſimulatosque morbos, id verò non probat omnium aliorum falſitatem. Hiſpanus puer oculorum nitori reſtitutus, monialis è longinquo

reſti-

reſtituta, numeroſa cohors paſtorum vaſtæ Urbis faventium tam conſtanter veritati ſanationum, ipſumque ante omnem perquiſitionem odium Præſulis ac prohibitiones, ſuſpectam reddunt curiam aliâs inhiantem avidè miraculis, cum ſupprimit violenter, quicquid heic vel ſpeciem habet miraculi. Ruant porrò (id enim per nos licet) in mutua prælia Cadmæi frates, ac diſcant cautiores eſſe in tam difficili negotio, intricatoque ſcrutinio; à quo ſibi non immeritò metuunt. Janſeniſta enim faciens miracula terribilia minatur Conſtitutioni vulnera, imò ruinam ſuis amaſijs triſtiſſimam acerbiſſimamque; Tu, Nobiliſſime Domine Candidate, qui parum de his Gallorum tricis ſolicitus es, in omni praxeos tuæ decurſu, ſana ratione circumſpectè utere, ſuperſtitioſa vulgi reijce ſomnia, ubi θεῖον quoddam ſubire oculos, mentemque videtur, omnem adhibe curam, ne facilè credendo facilè decipiaris; nihil tamen ſine examine reijcies, placent ſibi hodiè plerique inter Eruditos naſutuli in explodendis planè, negandisque magicis morbis, phantaſiæ nunc omnia ineptiſſimè tranſcribentes, tu media incedes via, nec timidè, nec temere judicans, nec ſciolorum in gratiam ſtupenda, etſi raro contingant, explodes, nec admittes cum aniculis incerta, dubia, ac minus firmata. Vale.